An. et vol. XXXVI 28 Decembris 1944 (Ser. II, v. XI) - Num. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutiones Apostolicae, p. 321 - Litterae Apostolicae, p. 329 - Allocutiones, p. 330.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 334 - *S. C. de Propaganda Fide*: Nominatio, p. 335 - *S. C. Rituum*: Decreta in causis Servorum Dei, p. 335.

Diarium Romanae Curiae: Udienze solenni - S. C. dei Riti: Congregazioni varie - Segreteria di Stato: Nomina, pp. 341-342.

Indices vol. XXXVI, An. XXXVI, 1944: I. Index generalis actorum, p. 343 - II. Index chronologicus documentorum, p. 345 - III. Indices nominum: a) personarum, p. 353; b) dioecesium, vicariatuum, etc., p. 359; c) religionum, p. 363 - IV. Index rerum analyticus, p. 365.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XLIV

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 50 — extra Italiam, *L.* it. 70 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 12 — extra Italiam, *L.* it. 15 —

«Bis fere in mense (Commentarium) prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur» (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXVI, n. 12 - 28 Decembris 1944)

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

PAG.

I. *Valdiviensis.* - Administrationis Apostolicae Valdiviensis territorium in Dioecesim erigitur. - *8 Iulii 1944* . 321

II. *De Sanyüan.* - Praefectura Apostolica de Sanyüan, in Sinis, ad Vicariatus Apostolici gradum et dignitatem evehitur. - *13 Iulii 1944* . 325

III. *Do Rio Branco.* - Territorium de «Rio Branco» in Brasilia, in Administrationem Apostolicam hucusque constitutum, ad Praelaturae «nullius» gradum et dignitatem evehitur. - *30 Augusti 1944* . 326

LITTERAE APOSTOLICAE

Sanctae Romanae Ecclesiae. - Sancta Teresia a Iesu Infante, virgo, carmelita lexoviensis, universae Galliae Patrona secundaria constituitur. - *3 Maii 1944* . 329

ALLOCUTIONES

Ad Legatum Brasiliae . 330

Ad Legatum Aequatoris . 332

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PAG.

Provisio Ecclesiarum . 334

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

Nominatio . 335

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Ourien.* - Decretum de *Tuto* pro canonizatione B. Nicolai De Flüe, Confessoris, eremitae helvetii. - *4 Iunii 1944* . 335

II. *Florentina.* - Decretum introductionis causae pro beatificatione Servae Dei Teresiae Maria a Cruce, fundatricis Instituti Sororum Tertiariarum a S. Teresia. - *30 Iulii 1944* . 337

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienze solenni . 341

II. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 341

III. Segreteria di Stato: *Nomina* . 342

ANNUARIO PONTIFICIO

PER L'ANNO 1945

Pagine 1292. Legato in tela. L. 220 —

Venit Romae apud Admin. Commentarii Officialis "Acta Apostolicae Sedis"
(*Libreria Vaticana - Città del Vaticano — c/c postale N. 1 16722*)

An. et vol. XXXVI 28 Decembris 1944 (Ser. II, v. XI) - Num. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

VALDIVIENSIS

ADMINISTRATIONIS APOSTOLICAE VALDIVIENSIS TERRITORIUM IN DIOECESIM ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Apostolicis sub plumbo Litteris *Universalis Ecclesiae* a s. mem. Pio Papa Undecimo, Praedecessore Nostro, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo, die septima Martii mensis datis, ex avulso territorio dioecesis S. Caroli Ancudiae et Vicariatus Apostolici de Araucania nova erecta est dioecesis Valdiviensis. Quae quidem Apostolicae Litterae iustis de causis ad executionem minime demandari potuerunt; attamen territorii pars S. Caroli Ancudiae dioecesis in Administrationem Apostolicam, Valdiviensem nuncupatam, interim constituta est sub proprii et peculiaris Ordinarii iurisdictione. Nunc vero Nos, animo perpendentes territorium hoc valde esse extensum nec continuum, in eoque plures contineri quasi paroecias ad finitimum Vicariatum Apostolicum de Araucania pertinentes, ad maius decus et utilius christifidelium ibidem degentium regimen assequendum, benigne excipiendas duximus preces venerabilis Fratris Maurilii Silvani, Archiepiscopi titularis Naupactensis et apud Rempublicam Chilenam Nuntii Nostri, quibus ab Apostolica Sede petiit ut Apostolica quam diximus Administratio

Valdiviensis in dioecesim erigatur et eiusdem cum Vicariatu Apostolico de Araucania fines opportunius immutentur. Quare Nos, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Consistorialibus praepositorum consulto, accedente voto S. Congregationis de Propaganda Fide, suffragantibus quoque venerabilibus Fratribus Raymundo Munita Eyzaguirre, Episcopo Portus Montt et Administratore Apostolico *ad interim* Valdiviensi, et Guidone Benedicto Beck, Episcopo titulari Mastaurensi in Asia et Vicario Apostolico de Araucania, nec non suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit aut eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a S. Caroli Ancudiae dioecesi definitive territorium separamus Administrationi Apostolicae Valdiviensi subiectum et illud in novam exinde dioecesim eodem nomine Valdiviensem appellandam erigimus et constituimus iuxta ea quae sequuntur : Nova haec dioecesis comprehendet : 1) territorium ex quo hodie praefata constat Administratio Apostolica, praeter tres paroecias, nempe *Loncoche, Gorbea* et *Pitrufquén,* quas Vicariatui Apostolico de Araucania adiungimus; 2) septem quasi-paroecias, quas ex eodem Vicariatu Apostolico distrahimus et novae Valdiviensi dioecesi attribuimus, nempe : *Los Lagos, Futrono, Trumao, San Pablo, Quilacahuin, San Juan de la Costa, Rahue* et partem paroeciae de *Panguipulli.* Proinde inter utramque circumscriptionem ecclesiasticam limites definientur linea quae, prout vernacula lingua designatur, *parte desde el estero Pichicullin, que desemboca en el Océano Pacífico, hacia el estero Reque, siguiéndolo hasta su desembocadura en el Río Santa María, que forma límite hasta su desagüe en el Río Cruces; desde ahí aguas arriba hasta la desembocadura del Río Pichoy o Iñaque, siguiendo el curso de este río hasta Putabla. De ahí el curso del Río Mófil hasta su nacimiento en los cerros de Huichaco. La linea de demarcación salta de ahí hasta el gran recodo del Río San Pedro, siguiendo el curso de éste aguas arriba hasta su salida del lago Riñihue, pasando a través del mismo lago hasta la punta Este, llamado Huechulafquén o Enco. De ahí sigue el río Enco, río Fui, el lago Pirihueico, incluyendo la población del mismo nombre con el hotel turístico en el extremo Oriente del lago, sigue el río Huahún aguas arriba hasta el pueblo del mismo nombre en la frontera argentina.* Novae autem ita erectae et circumscriptae dioecesis Valdiviensis sedem in urbe vulgo *Valdivia* constituimus, quam propterea ad civitatis episcopalis gradum evehimus cum omnibus iuribus et privilegiis ad civitates episcopales pertinentibus. Episcopi vero cathedram in paroeciali templo, Deo in honorem Beatissimae Virginis Mariae a Ssmo Rosario dicato,

figimus, quod idcirco ad ecclesiae cathedralis gradum et honorem extollimus; eidemque et pro tempore Antistitibus Valdiviensibus iura omnia tribuimus, honores, insignia, privilegia, favores et gratias, quibus orbis ceterae cathedrales Ecclesiae earumque Antistites in America Latina iure communi pollent illosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus quibus ceteri adstringuntur. Ipsam porro cathedralem Ecclesiam suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Sanctissimae Conceptionis eiusque pro tempore Episcopos metropolitico eiusdem SSmae Conceptionis Archiepiscopi iuri subiicimus. Cum autem praesentis temporis adiuncta haud permittant quominus in nova hac dioecesi Canonicorum Capitulum modo instituatur, indulgemus ut interim pro Canonicis dioecesani Consultores, ad iuris tramitem, eligantur et adhibeantur. Mandamus insuper ut, quam primum fieri poterit, saltem parvum seminarium dioecesanum, iuxta Codicis praescripta et normas a S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus traditas vel tradendas, in hac etiam dioecesi erigatur; itemque ut ab ipsa dioecesi eiusque sumptibus alendi, duo delecti iuvenes, aut modo saltem unus, ad Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum de Urbe non intermissa vice mittantur, ut sub oculis fere Romani Pontificis in spem Ecclesiae instituantur. Quod vero attinet ad huius dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera, aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones decernunt. Quod vero ad clerum peculiariter spectat, statuimus ut, simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, cuique clerico fas sit ex Vicariatus Apostolici de Araucania iurisdictione in dioecesis Valdiviensis iurisdictionem transire et vicissim, de consensu tamen utriusque Ordinarii; ceterum eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio legitime degunt. Volumus insuper ut Cancellariae tum erectae dioecesis Valdiviensis tum Vicariatus Apostolici de Araucania omnia documenta et acta, quae paroecias respiciunt iisdem, harum Litterarum vi, attributas quam primum fieri poterit tradantur, ut in propriis Cancellariis diligenter serventur. Episcopalem autem mensam noviter erectae dioecesis constituent Curiae emolumenta et ceterae oblationes, quae a fidelibus, in quorum bonum dioecesis erecta est, praeberi solent praeter ea quae ad hunc finem iam collecta sunt. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra diximus Fratrem Maurilium Silvani, apud Rempublicam Chilenam Nuntium Apostolicum deputamus eidemque necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quem-

libet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, et cum onere ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum fieri poterit authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, quorum intersit vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato defectu, notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus, ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce praesentibus tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo quarto, die octava Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno sexto.

Pro S. R. E. Cancellario
I. Card. GRANITO DI BELMONTE
Decanus S. Collegii

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Apost., vol. LXVIII, n. 71 – Al. Trussardi.

II

DE SANYÜAN

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE SANYÜAN, IN SINIS, AD VICARIATUS APOSTOLICI GRADUM ET DIGNITATEM EVEHITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Congruum opportunumque est et in ecclesiastici regiminis utilitatem cedit Praefecturas illas Apostolicas, in quibus catholica religio, opitulante Deo, notabilia susceperit incrementa, ad Vicariatus gradum et dignitatem evehi. Cum itaque in Praefectura Apostolica de *Sanyüan* in Sinis, indefesso labore constantique zelo Missionariorum Ordinis Fratrum Minorum, quibus illa concredita est, missionalia opera, uti Nobis relatum est, multiplicata sint, Nos, attento venerabilis Fratris Delegati Apostolici in Sinis favorabili voto, et de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, ut iisdem Missionariis meritae laudis testimonium detur et illis simul animus addatur ad novos maioresque in dies exantlandos labores, libenter excipiendas duximus preces dilecti Filii Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum, qui a Nobis postulavit ut Praefectura illa in Vicariatum Apostolicum evehatur. Suppleto igitur, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, re mature perpensa, Praefecturam Apostolicam de *Sanyüan*, iisdem servatis appellatione ac limitibus, in Vicariatum Apostolicum suprema auctoritate Nostra erigimus et constituimus, eumque praefato Fratrum Minorum Ordini etiam in posterum, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum, commissum volumus. Eidem autem novo Vicariatui eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus Apostolici eorumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia, ut supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate munitis, eamdem prorsus volumus

haberi fidem, quae hisce Litteris haberetur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam evectionis, constitutionis, commissionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis, vero, id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo quarto, die decimatertia Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno sexto.

Pro S. R. E. Cancellario
I. Card. GRANITO DI BELMONTE
S. Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praef.

Alfridus Vitali, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXVIII, n. 79. - Al. Trussardi.

III

DE RIO BRANCO

TERRITORIUM DE « RIO BRANCO » IN BRASILIA IN ADMINISTRATIONEM APOSTOLICAM HUCUSQUE CONSTITUTUM, AD PRAELATURAE « NULLIUS » GRADUM ET DIGNITATEM EVEHITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad maius animarum bonum et facilius salubriusque christianae plebis regimen quam maxime conferre videntur rectae ecclesiarum per orbem circumscriptiones. Quod quidem animo perpendens ex amplissimo dioecesis Amazonensis territorio Sacra Congregatio Consistorialis per Decretum quintadecima die Augusti mensis, anno millesimo nongentesimo septimo editum, partem seiunxit quae a flumine, cui adiacet, de *Rio Branco* vocatur, et Abbatiae monasticae Beatae Mariae Virginis de Monteserrato Fluminis Ianuarii Ordinis S. Benedicti ita unita fuit, ut coenobium hoc cum adiuncto territorio Abbatiam *nullius* constitueret, regimini et iurisdictioni Abbatis pro tempore subiectum. Decursu

vero temporis, attenta locorum distantia, nec non magna itineris et commercii difficultate, per alterum Sacrae Congregationis Consistorialis Decretum, die vicesima prima Aprilis mensis, anno millesimo nongentesimo trigesimo quarto editum, quod supra diximus territorium *nullius* de Rio Branco ab Abbatia B. Mariae Virginis de Monteserrato separatum fuit et dilecto Filio Laurentio Zeller, Abbati Ordinis S. Benedicti, in Administrationem Apostolicam commissum, donec aliter ab Apostolica Sede provideretur; ac proinde Abbatia illa tantum monastica evasit, uti ante diem decimam quintam Augusti anni millesimi nongentesimi septimi erat. Nuper autem dilectus Filius Laurentius Zeller, interea episcopali dignitate, titulo Dorylaënsi, auctus, ad maius territorii praefati decus, sed praesertim ad utilius christifidelium in territorio *nullius* de Rio Branco degentium regimen et ad faciliorem aliorum incolarum conversionem, ab hac Apostolica Sede enixe postulavit ut territorium ipsum in Praelaturam *nullius* eveheretur. Nos itaque, considerantes huiusmodi petitionem in animarum bonum cessuram, eam benigne excipiendam duximus. De venerabilium igitur Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Consistoriali praepositorum consilio, habito venerabilis Fratris Benedicti Aloisi Masella, Archiepiscopi titularis Caesariensis in Mauretania et apud Rempublicam Brasilianam Nuntii Apostolici, favorabili voto, suppleto, quatenus opus sit, aliorum quorum interest aut qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, quod supra memoravimus territorium de Rio Branco, hucusque in Administrationem Apostolicam concreditum, in Praelaturam *nullius dioeceseos*, de Rio Branco appellandam, erigimus et constituimus iisdem servatis finibus, quibus in praesenti circumscribitur. Novae porro huius Praelaturae sedem in *Boa Vista* urbe statuimus, et ecclesiam, Deo in honorem S. Bonifacii Episcopi et Martyris dicatam, ibi exstantem, ad sedis et praelatitiae ecclesiae gradum et dignitatem extollimus; quibus sedi et praelatitiae ecclesiae nec non Praelatis pro tempore de Rio Branco omnia tribuimus iura et privilegia eisque onera et obligationes imponimus, quae ceteris sedibus et praelatitiis ecclesiis earumque Praelatis in Brasiliana Republica ad iuris tramitem sunt adnexa. Decernimus insuper ut nova ista Praelatura *nullius* metropolitanae Ecclesiae Belemensi de Parà tamquam suffraganea subiecta sit eiusque pro tempore Praelati Archiepiscoporum pro tempore Belemensium de Parà metropolitico iuri subiecti sint. Volumus insuper ut nova haec Praelatura de Rio Branco tradatur et committatur apostolicis Congregationis Brasiliensis Or-

dinis S. Benedicti curis. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra diximus Fratrem Benedictum Aloisi Masella, Nuntium Nostrum apud Rempublicam Brasilianam, deputamus, cui necessarias et opportunas ad hoc tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus imponimus ad Sacram Congregationem Consistorialem authenticum exemplar peractae exsecutionis actorum quamprimum transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque firma, valida et efficacia exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quacumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac declaramus; contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce Litteris haberetur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam erectionis, constitutionis, concessionis, statuti, mandati, commissionis, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo quarto, die trigesima Augusti mensis, Pontificatus Nostri anno sexto.

Pro S. R. E. Cancellario
I. Card. GRANITO DI BELMONTE
Decanus S. Collegii

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Alfonsus Carinci, *Proton. Apost.*
Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXVIII, n. 93. – Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

SANCTA TERESIA A IESU INFANTE, VIRGO, CARMELITA LEXOVIENSIS, UNIVERSAE GALLIAE PATRONA SECUNDARIA CONSTITUITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Parisiensium Archiepiscopus ad Nos refert, nomine quoque ceterorum Cardinalium atque Archiepiscoporum Galliae Episcoporumque, admodum sibi esse in votis ut Sanctam Teresiam a Puero Iesu secundariam universae Galliae Patronam de benignitate Nostra declarare dignemur. Equidem cum nobilissimae nationis ipsius Beatissima Dei Genetrix Maria principalis iam sit Patrona a pluribus saeculis, itemque Sancta Ioanna de Arc, virgo, Patrona secundaria post eiusdem canonizationem, opportunum quoque Praesulibus eisdem unanimi sensu visum est procellosis praesertim hisce temporibus Galliae christifidelibus praebere aliud etiam apud Deum peculiare auxilium sanctae carmelitae lexoviensis, quae, ut catholica fides apud concives iugiter firmiterque servaretur, magna patriam suam caritate prosecuta est illamque Deo quam maxime commendans. Addit vero ipse Purpuratus Pater iam Decessorem Nostrum rec. mem. Pium Pp. XI eandem Sanctam Teresiam Missionum Patronam bene constituisse; cumque nunc etiam in Gallia, ob ruinas tam spirituales quam temporales, quas immensas saevum ac terribile bellum hodiernum eidem intulit, permagnus habeatur ager missionaria opera exscolendus ut plebs ad Fidem maiorum religiososque mores reducatur, minime dubitandum esse, quin magnum in bonum atque illius nationis spirituale emolumentum hic, qui enixe petitur, sacer patronatus bene vertat; nam omnibus notum est quo affectu, qua fama, quo cultu omne genus civium Galliae ex humilioribus quoque ordinibus ipsam sanctam Virginem prosequatur. Sane de hac re iam Nos ipsimet, nondum ad Summum Pontificatum assumpti, cum Legaticio munere lexoviensi in civitate anno MCMXXXVII fungebamur, perspicua ac memoranda testimonia collegimus, ita ut vota, quae Nobis idem Purpuratus Pater orator, tum proprio tum nomine aliorum Praesulum instanter defert, Nos libenti quidem animo nunc excipienda censeamus. Audito igitur venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Praenestino Episcopo, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, perpetuumque

in modum, Sanctam Teresiam a Puero Iesu secundariam universae Galliae apud Deum *Patronam* declaramus et constituimus, omnibus et singulis adiectis privilegiis liturgicis atque honoribus, quae huiusmodi coelestibus locorum Patronis rite competunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Haec concedimus atque edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent, seu pertinere poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contingerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III m. Maii, an. MCMXXXXIV, Pontificatus Nostri Sexto.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

ALLOCUTIONES

I

Summus Pontifex, die 22 mensis novembris a. 1944, humanissimis verbis, quibus Excmus Vir Mauritius Nabuco qua Reipublicae Brasilianae novus Orator extra ordinem liberis cum mandatis Litteras publicas porrexit, haec respondit:

Senhor Embaixador,

As palavras que Vossa Excelência acaba de dirigir-Nos, ao entregar-Nos as credenciais com que o Senhor Presidente da República dos Estados Unidos do Brasil o acredita junto de Nós como Embaixador Extraordinário e Plenipotenciário, manifestam um tão profundo sentimento do elevado ofício a Vossa Excelência confiado a uma tão segura intuïção das necessidades e angustias dêste tormentoso tempo que aumentam em Nós a confiança de encontrarmos em Vossa Excelência, de mais a mais unido já a esta Sé Apostólica por gloriosas memórias de família, um ardente fautor das relações felizmente existentes entre a Igreja e o Estado na sua nobre Nação.

Se Nós hoje, desandando com o pensamento o decênio decorrido desde a Nossa inolvidável viagem em Terras de Santa Cruz e na sua explêndida Capital, atentamos nas profundas transformações que êste breve lapso de tempo imprimiu em toda a humanidade, compreendemos

perfeitamente como também o povo brasileiro, — tão querido e tão dentro do Nosso coração, — se virá a encontrar ao fim desta imane guerra diante de problemas e encargos que hão de exigir das energias materiais e espirituais da Nação um esfôrço como nunca teve de fazer.

Ora nada pode favorecer nem promover de maneira mais ampla e eficaz a preparação do povo brasileiro para tão alto fim, do que as energias e os frutos que a todas as classes do povo oferecem as incomensuráveis fôrças morais contidas na doutrina de Cristo.

Ao Brasil, que é uma das principais e mais importantes nações da América Latina, abrem-se aqui horizontes cuja amplidão, rica das mais vastas possibilidades, convida aos seus melhores filhos e filhas a grandes e generosas resoluções.

O fiel povo brasileiro tem viva consciência e nobre ufania do património espiritual que desde os primeiros tempos do descobrimento recebeu, qual preciosa herança, da doutrina de Cristo e da sua união com a Igreja Católica Romana.

Ele sente-se profundamente apegado a estas suas tradições religiosas e ao seu hereditário vínculo com os demais povos da civilização latina, e sabe que a parte melhor das suas qualidades características e dos seus particulares sentimentos se nutriu e se nutre da seiva haurida destas raízes.

Ele sabe bem quão poderosamente tem contribuído para a conservação e defesa dêste seu carácter próprio e peculiar o trabalho indefesso, tanto do seu benemérito clero secular quanto dos membros das Ordens e Congregações Religiosas no campo do ministério espiritual e da educação.

Nós, Senhor Embaixador, alimentamos a firme confiança de que as relações amigáveis entre a Santa Sé e o Brasil hão de concorrer para que a providencial missão educadora e social da Igreja em meio do grande povo brasileiro se possa desenvolver em medida cada vez mais ampla e fecunda.

Com êste augúrio Nós rogamos-lhe que faça chegar a Sua Excelência o Senhor Presidente da República a expressão da Nossa sempre viva lembrança e dos Nossos férvidos votos.

Emquanto invocamos sôbre a sua Pátria, por Nós tão amada, a protecção do Omnipotente nêste agitado presente e no limiar de um futuro que desejamos e imploramos rico de prosperidade e bem-estar, damos a todo o dilecto povo brasileiro e ao seu Govêrno, e de modo especial a Vossa Excelência com toda a efusão do Nosso coração paterno a implorada Bênção Apostólica.

II

Summus Pontifex, die 27 mensis decembris a. 1944, nobilissimis verbis quibus Excmus Vir Manuel Sotomayor Luna, qua Reipublicae Aequatoris Orator extra ordinem liberis cum mandatis Litteras publicas porrexit, haec verba fecit:

Señor Embajador:

En las nobilísimas palabras con que ha sabido V. E. dar comienzo a su alta misión, Nos ha complacido ante todo el recuerdo de la Nación Ecuatoriana, la « República del Sagrado Corazón », pues ella fué el primer Estado americano que, al impulso del grande Presidente García Moreno, quiso hacer de su vida un acto de reparación no interrumpido.

V. E. ha hablado además como primer Embajador de su país ante la Santa Sede. La determinación del Excmo. Sr. Presidente del Ecuador, Dr. Velasco Ibarra, de dar precisamente en estos momentos mayor lustre e intimidad a sus relaciones con la Sede Apostólica, reviste a Nuestros ojos un significado profundo. En el terrible ciclón que envuelve a la humanidad, y en la ardua tarea de preparar la restauración material y moral que ella entrañablemente ansía, todo factor positivo de reconstrucción es precioso; cuánto más si él encierra los altísimos e insustituibles valores espirituales que la Divina Providencia ha querido confiar a Nuestra custodia.

Que ese nuevo elevado cargo haya sido confiado a la persona de V. E., cuyos méritos en la prosecución de tan sagrado ideal Nos son bien conocidos, es la mejor prenda de que producirá frutos saludables.

V. E. Nos ha asegurado, en su sentido y elocuente discurso, que, a la otra orilla del Océano inmenso, el católico pueblo ecuatoriano sigue con amor filial Nuestras palabras, Nuestros esfuerzos por la paz y la caridad cristiana. El escucharlo en estos momentos de los labios de V. E. conforta a Nuestro afligido espíritu, que en cuanto ha realizado y realiza en favor de la verdad contra el error, de la justicia contra la violencia y para aliviar, en lo posible, todo dolor y toda miseria, ha seguido y sigue los impulsos de Nuestro deber Apostólico y la tradición multisecular de esta Nuestra Sede Romana.

Terrible es la angustia que en Nos producen los horrores de la guerra. Mas no es menor la que Nos procuran las inciertas perspectivas de su final resolución. ¿ Se logrará organizar una paz que no lleve en su seno los gérmenes de nuevas guerras? ¿ Conseguirá el nuevo orden de las re-

laciones internacionales resolver los conflictos y las asperezas que podrán seguir a la cesación de las hostilidades, aplicando a todos el derecho y la equidad, y no haciendo violencia a ninguno? La Historia enseña, hasta con exceso, que no bastan las seguridades técnicas y jurídicas. Tanto o más necesarias son las de orden espiritual: sentido de justicia hermanado con una sabia amplitud de miras; mutua comprensión y benevolencia; ánimo pronto a la conciliación, hasta con el propio sacrificio, si lo exige el interés de la concordia y de la paz. Pero no se engendrarán en el espíritu internacional estos hábitos bienhechores, sin destruir previamente cúmulos de alejamientos y de odio, de desconfianzas, de incomprensiones y de prejuicios. La República del Ecuador ha dado hace poco un espléndido ejemplo de este sentimiento de fraternidad y de sacrificio; y Nos complace saludar en V. E. a uno de los constructores de esa noble y previsora política de paz.

Sea, pues, bienvenido V. E.; y que esa sabia y cristiana conducta aparezca como el alba de un nuevo día, ante todo para las relaciones entre la Iglesia y el Estado en su patria, que cuenta en ella con una tradición gloriosa. « Completamente feliz debe llamarse (y Nos es grato usar en esta solemne ocasión las palabras empleadas por Nuestro inmortal Predecesor Pio IX en días para vosotros inolvidables) la Nación cuya autoridad civil está unida con tan estrecho lazo a la sagrada, que ambas no se dirigen sino a la consecución del bien común;... en ella florece la tranquilidad nacida del orden ...; la prosperidad del pueblo se halla en magnífico estado, y ... todo conspira a su felicidad ».

Con la expresión de tan fervientes deseos, enviamos Nuestra Bendición al Señor Presidente de la República, al Gobierno y a todo el amadísimo pueblo Ecuatoriano; mientras afectuosamente bendecimos a V. E. y a todo lo que ahora lleva en el pensamiento y en el afecto, garantizándole que hallará siempre en Nos aquella paternal acogida, a que sus nobles sentimientos, sus méritos personales, sus elevadas intenciones y el alto rango de su cargo le hacen acreedor.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

die 28 Octobris 1944. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Trapezuntinae praefecit R. D. Carolum Albertum Ferrero di Cavallerleone, Ordinarium Militarem in Italia.

die 1 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Gaudisiensi R. D. Iosephum Pace, Vicarium Generalem eiusdem dioecesis.

die 21 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Davenportensi Exc. P. D. Raphaëlem Hayes, hactenus Episcopum titularem Hieropolitanum.

— Cathedrali Ecclesiae Manchesteriensi Exc. P. D. Matthaeum Brady, hactenus Episcopum Burlingtonensem.

— Cathedrali Ecclesiae Columbensi R. D. Michaëlem Ready, Secretarium Generalem Consociationis « *National Catholic Welfare Conference* » in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis.

— Cathedrali Ecclesiae Covingtonensi R. D. Gulielmum Mulloy, parochum ecclesiae Cathedralis Fargensis.

— Cathedrali Ecclesiae Burlingtonensi R. D. Eduardum Ryan, parochum Ecclesiae *Holy Name,* in archidioecesi Bostoniensi.

— Titulari episcopali Ecclesiae Iliensi Exc. P. D. Eugenium Mac Guinnes, hactenus Episcopum Raleighiensem, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Francisci Kelley, Episcopi Oklahomensis et Tulsensis.

die 9 Decembris. — Metropolitanae Ecclesiae Burgensi Exc. P. D. Lucianum Perez Platero, hactenus Episcopum Segobiensem.

— Cathedrali Ecclesiae Segobiensi Exc. P. D. Danielem Llorente y Federico, hactenus Episcopum titularem Daphnusiensem.

— Cathedrali Ecclesiae Cauriensi R. D. Franciscum Cavero Tormo, Vicarium Generalem archidioecesis Granatensis.

— Cathedrali Ecclesiae Oxomensi R. D. Saturninum Rubio Montiél, parochum ecclesiae S. Nicolai loci *Miranda del Ebro,* dioecesis Calaguritanae.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

NOMINATIO

Decreto die 27 mensis Octobris a. 1944 dato, Sacra Congregatio de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renunciavit R. P. Rodulphum Noser, Societatis Verbi Divini presbyterum, *Praefectum Apostolicum Accraënsem.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

CURIEN.

CANONIZATIONIS B. NICOLAI DE FLÜE, CONFESSORIS, EREMITAE HELVETII

SUPER DUBIO

An, stante duorum miraculorum approbatione, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, et dispensatione a tertio miraculo, TUTO *procedi possit ad sollemnem ipsius Canonizationem.*

Sanctus Ecclesiae Doctor, Petrus Canisius, de Beato Nicolao de Flüe scribit: « Ipse quasi nobilis et lucida stella ... adeo late et splendide his « terris illuxit, ut ab omnibus Deus et Dominus noster inde laudari et « benedici mereatur » (Praef. in Medit. et prec. fr. Nicolai, a. 1585).

Fulgidissima porro stella B. Nicolaus ob mirificum virtutum splendorem fuit, quas « mortuus mundo et eius vanitati, ut optimam partem « sibi eligeret » (Id., ibid.), exercuit.

Arctissima enim paenitentia corpus afflixit, iugi orationi atque divinarum rerum contemplationi animum intendit; unde prudentissima consilia in proximorum totiusque civitatis bonum, patriaeque pacem af-

fatim hauriebat. Etsi autem haec consilia ab omnibus veluti oracula habebantur, ipse tamen propter Christi amorem sapienter demisse de se sentiebat. Docet porro Scriptura: *Sapientia humiliati exaltabit caput illius et in medio magnatorum consedere eum faciet* (Eccli., XI, 1). Et sane Nicolaus populi voto ad magistratum, quem integerrime gessit, fuit electus, summam existimationem, uti pater familias primum, in eremo postea, apud homines, vel magna dignitate et auctoritate fulgentes. sibi comparavit; postquam autem mortem oppetiit, ab ipso Domino Deo dignus est habitus qui *sedeat cum principibus et solium gloriae teneat* (I Reg., II, 8), uti evidenter constat ex innumeris miraculis, quae Deus ipse, eodem intercedente, dignatus est operari. Haec enim, praeter vitae sanctitatem, liturgicum cultum, populi voce, uti tunc erat in more, ei conciliarunt. Qui ab Innocentio Papa X, die 1 Februarii a. 1649 fuit confirmatus, postquam S. R. C. die 21 Novembris anteacti anni favorabile emiserat votum. At nova quoque miracula, paucis abhinc annis patrata, ulteriores sublimioresque honores visa sunt eidem comparare. Duo enim ex his mature rigideque ab hac sacra Congregatione examinata sunt, atque nuperrime, die 30 Aprilis mensis, a Summo Pontifice approbata.

Nunc autem Episcopi omnes, Pagorum Optimates, ferventissima totius Helvetici populi, qui catholicam fidem profitetur, vota proferentes, a Beatissimo Patre dispensationem ab exhibendo tertio miraculo a iure praescripto humiliter imploravere.

Sanctitas vero Sua, omnibus perpensis adiunctis, petitam dispensationem benigne concessit, uti constat ex decreto die 24 Martii anni huius edito, per quod ad disceptationem dubii: *An stante duorum miraculorum approbatione, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, et dispensatione a tertio miraculo,* Tuto *procedi possit ad sollemnem ipsius Canonizationem,* via est complanata. Favorabilis huius dubii solutio iuridicas omnes inquisitiones a Sacra Rituum Congregatone faciendas complet, cui Consistorialia acta, sollemnem ac formalem Canonizationem praecedentia, succedunt.

Dubium hoc in Generali Congregatione die 9 Maii mensis, coram Sanctitate Sua, ab infrascripto Cardinali S. R. C. Praefecto causaeque Ponente seu Relatore propositum fuit: atque omnes Revmi Cardinales, Officiales Praelati, Patresque Consultores unanimi sententia *Affirmative* responderunt.

Beatissimus vero Pater ingeminandas esse preces edixit, ut in re tanti momenti quid in Domino sentiendum agnosceret. Distulit itaque ad hanc usque diem, Dominicam Ssmae Trinitatis, ut suam ederet sententiam.

Quapropter subscriptum Cardinalem, R. P. Salvatorem Natucci Fidei Promotorem generalem meque Secretarium advocavit, divinoque sacrificio religiosissime litato, decrevit: Tuto *procedi posse ad Beati Nicolai de Flüe Canonizationem.*

Exulta et gaude, magnanima Helvetia, quia Filius, quem genuisti, ad sollemnem ac formalem Canonizationem primus, ex tua Confederatione, properando, maximam gloriam tibi rependit.

Faxit Deus ut Beatus Nicolaus, qui in terris degens pacis sequester inter Pagos exstitit, modo in caelis regnans, meritis precibusque suis, mundo universo, qui acerrimo bello dilaniatur, veram a Domino pacem, quam mundus dare non potest, quamprimum obtineat, cunctisque contribulibus suis ut eamdem, quam ipse heroice est professus, catholicam fidem corde amplexentur et opere profiteantur.

Hoc autem decretum rite promulgari atque in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 4 Iunii, in festo Ssmae Trinitatis a. D. 1944.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II

FLORENTINA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVAE DEI TERESIAE MARIAE A CRUCE, FUNDATRICIS INSTITUTI SORORUM TERTIARIARUM A S. TERESIA.

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio Introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Tantus patiendi amor Sanctae Teresiae a Iesu, Carmelitici Ordinis reformatricis, cor urebat, ut vivere, quin pateretur, maior paena ei fuisset quam ipsa mors. Unde: *Aut mori aut pati,* passim dicebat; quam veluti spiritualem hereditatem suo Ordini transmisit. *Pati* enim *et contemni pro te,* fuit quasi insigne S. Ioannis a Cruce, eiusdem Sanctae in reformatione socii: et, ut alios praeteream, recens aliud Carmeli suavissimum lilium, S. Teresia ab Infante Iesu, se non posse animo comprehendere, aiebat, quomodo in Paradiso quis gaudio afficeretur, quin pateretur.

Serva Dei Teresia Maria a Cruce, cuius beatificationis causa modo

inauguratur, digna est quae inter electas sanctae matris Teresiae filias eiusque in patiendi studio aemulatrices annumeretur.

